CAP. II.

Cum igitur leges[4] nostræ nihil ultra duplum solvi velint : et nos in hoc tantum differentiam habeamus cum prioribus, quod illæ quidem debita constituant usque ad duplum, si nulla particularis facta fuisset solutio : nos vero recipiamus, ut particulares etiam solutiones debita dissolvant, si usque ad duplum pertingant : sancimus ut secundum hoc fiat computatio : et si tantum hi persolverint, quantum adhuc ad mille aureos deest, recuperent etiam fœneratitiam sexingentorum aureorum syngrapham, ne debitum ex hac causa multipliciter exigi deprehendatur.

EPILOGUS.

Quæ itaque nobis placuerunt, et per hanc sacram pragmaticam declarantur formam, ea studeto magnificentia tua effectui et fini tradere, tam ea interpretatione, quæ de hac causa in sententiis, quorum supplices meminerunt, facta est, abolita : quam omnibus quæ per obreptionem et ex una tantum parte confecta sunt, aut conficientur, vacantibus. Divinitas te servet per multos annos, frater jucundissime. — Dat. 17 kalend. Maji *Constantinop.*, BELIS. V. C. CONS.

TIT. V.

EDICTUM[1] PIENTISSIMI DOMINI NOSTRI JUSTINIANI DE FORMULA ARTIFICUM.

NOVELLA CONSTIT. CXXII.

PRÆFATIO.

Cognovimus, quomodo post castigationem Domini Dei benignitate immissam, qui negotiationes et ludos literarios exercent, diversi etiam generis artifices et agricolæ, insuper et nautæ, cum potius meliores fieri deberent, lucri cupiditati se dediderint, et duplicia tripliciaque ac mercedes præter veterem consuetudinem requirant.

CAP. I.

Visum igitur est per sacrum edictum omnibus interdicere detestandam jusiusmodi avaritiam, et ne quis in posterum cujuscunque disciplinæ aut artis magister, qualiscunque etiam negotiationis negotiator, qualiscunque demum agriculturæ agricola, quam vetus consuetudo ferat, plus pretii mercedisve nomine exigat, jubemus vero etiam ut ædificiorum, et colendæ terræ, aliorumque onerum mensores nihil amplius onerariis imputent, et illis antiquam consuetudinem conservent. Hæc autem observare jubemus et eos qui qualicunque opera demandant, et eos qui aliqua redimunt. Si quidem nec ipsis amplius quam more constitutum sit, dare concedimus. Sciant vero qui quicquam amplius, quam pro veteri consuetudine requirunt, quod triplicem quantitatem in fiscum inferre cogentur, si supra id quod ab initio constitutum fuerit, cepisse illos quicquam aut dedisse ostensum sit.

EPILOGUS.

Hæc porro inquiri ac vindicari jubemus et ab excellentia tua et a gloriosiss. felicis hujus urbis præfecto. Volumus enim per vos ab hujus nostri edicti transgressoribus constitutam multam exigi, pœnisque illos subdi : ita ut quæ vobis parent cohortibus, quinque librarum auri multa incubitura sit, si quid ex iis quæ a nobis constituta sunt, neglectum fuerit. — Dat. 2 kal. april. *Constantinop.*, DN. JUSTIN. P. P. Aug., post. BELIS. V. C. consulat.

TIT. VI.

DE SANCTISSIMIS EPISCOPIS[1] ET DEO AMABILIBUS ET REVERENDISSIMIS CLERICIS, ET MONACHIS.

NOVELLA CONSTIT. CXXIII.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Petro gloriosiss. magistro sacrorum nostrorum officiorum.

PRÆFATIO.

De gubernatione, et privilegiis, aliisque diversis capitulis ad sanctissimas ecclesias, et alias venerabiles domos pertinentibus, jam quædam disposuimus[2] : super sanctissimis autem episcopis, et clericis, et monachis dudum in diversis constitutionibus disposita cum competenti correctione hac comprehendere lege prospeximus.

In editionibus Haloandrinis duæ hic paginæ infarciuntur, quæ nec in Scrimgeriana editione, nec in meis manuscriptis reperiuntur. Contius.

CAP. I. *De ordinatione episcoporum*[3].

Sancimus igitur quoties opus fuerit episcopum ordinari, clericos et primates civitatis cujus futurus est episcopus ordinari, mox in tribus[4] personis decreta facere, propositis eis sacrosanctis Evangeliis, *periculo suarum animarum* dicentes in ipsis decretis : *quia neque propter aliquam donationem, neque propter aliquam promissionem, aut amicitiam, aut aliam quamlibet causam, sed scientes eos rectæ et catholicæ fidei, et honestæ*[5] *esse vitæ, et literas*[6] *nosse, hos elegerunt : et quia neque uxorem, neque filios*[7] *aliqui eorum habent, neque concubinam aut filios naturales cognoscunt eos habuisse, aut habere* : sed et si prius *uxorem aliquis ex eis habuit ipsam et unam*[8], *et primam, et neque viduam, neque viro conjunctam, neque legibus*[9] *aut sacris constitutionibus interdictam, sed et quod neque curialem*[10] *aut officialem hunc esse cognoscunt, aut si curiali vel officiali subjacet fortunæ, sciunt eum in monasterio non minus quindecim*[11] *annis monasticam conversationem implevisse.* — § 1. Hoc quoque decretis oportet inseri, *quia non minus quam triginta quinque*[12] *ætatis annos habet is, qui eligitur ab eis qui cognoscunt personam* : ut ex trium personarum pro quibus talia decreta facta sunt, melior ordinetur electione et periculo ordinantis. Curialem vero vel officialem, qui, sicut dictum est, quindecim[13] annis in monasterio conversatus est, et ad episcopatum provocatus, liberum esse propria fortuna : ita tamen, ut liberatus a curia, quartam partem suæ substantiæ sibi retineat : reliquis ejus rebus secundum nostram legem curiæ et fisco vindicandis. — § 2. Damus autem licentiam decreta facientibus, si quempiam laicorum præter curialem et officialem, dignum memorata electione esse putent : hunc cum aliis duobus clericis aut monachis eligere : ut si laicus hoc modo ad episcopatum eligatur, non repente episcopus ordinetur, sed primo clericis non minus tribus mensibus connumeretur, et ita sanctas regulas et cotidianum ecclesiæ ministerium edoctus, episcopus ordinetur, qui enim alios debet docere, post ordinationem ab aliis doceri non debet. Si vero (ut evenit in quibusdam locis) non inveniantur tres personæ ad talem electionem opportunæ, liceat decreta facientibus in duabus et in una persona decretum facere : eos tamen omnes jam dictas a nobis habentes testationes. Si vero qui debent episcopum eligere, citius ipsa decreta intra sex menses non faciant : tunc periculo propriæ animæ ille, quem competit ordinare episcopum, ordinet, omnibus aliis quæ diximus observandis. Si quis autem citra memoratam observationem episcopus ordinetur, jubemus hunc omnibus modis episcopatu depelli. Sed etiam illum qui præter hoc præsumpserit ordinare, segregari uno anno a sacro ministerio, et omnem ejus substantiam, quæ quolibet tempore aut modo in ejus dominium deducta est, propter culpam quam fecit, dominio ecclesiæ cujus episcopus est, vindicari.

CAP. II. *De accusatoribus episcoporum*[14].

Si quis autem electum ad ordinationem episcopatus accusaverit in qualibet causa quæ possit secundum leges aut canones ejus impedire ordinationem, differatur hujusmodi ordinatio : et prius contra eum propositam causam sive præsente accusatore[15], et ab eo propositam causam exsequente, sive etiam deficiente per tres menses suam accusationem implere : diligenter examinari ab illo a quo futurus erat episcopus ordinari : et si quidem obnoxium eum accusator invenerit, prohibeatur ordinatio. Si vero obnoxius non ostendatur, ordinatio quidem non impediatur : accusator autem, sive non probaverit, sive etiam fugit propositam a se accusationem, a provincia in qua habitat abjiciatur. Si quis autem ante examinationem accusatum ordinaverit, ordinatus quidem a sacerdotio repellatur : qui vero talem ordinare festinaverit, superius dictæ subjaceat pœnæ, tam annali prohibitioni sacri ministerii, quam etiam ut omnes ejus res ecclesiæ vindicentur. — § 1. Præ omnibus illud servari sancimus, ut nullus per suffragium[16] auri, aut aliarum rerum, episcopus ordinetur. Si quid autem tale committatur, ipsi semetipsos, et[17] dantes et accipientes, et mediatores eorum, secundum sacras Scripturas et sanctas regulas damnationi subjiciunt : et propterea qui dat, et qui accipit, et mediator ejus factus, sacerdotii aut cleri honore removeatur : quod[18] autem pro hac causa datum est, ecclesiæ illi vindicetur, cujus voluit sacerdotium comparare. Si vero laicus forte pro hac causa aliquid accipiat, aut mediator

4. d. t., pennult. § 1, C. de usuris.
TIT. V. — 1. Edict. Justin. 6.
TIT. VI. — 1. Lib. 1, C. 5. — 2. N. 6. — 3. N. 137, c. 2. — 4. L. 42, in pr., C. de episcopis. — 5. N. 6, c. 1, pr. — 6. d. N. 6, c. 1, § 2, § 6. — 7. d. c. 1, § 4 — 8. d. c. 1, § 3. — 9. Tit. C. de incest. et inutil. nupt. — 10. L. 4, L. 12, L. 53, C. de episcopis. — 11. § 1, infr. h. c. et c. 15. — 12. N. 137, c. 2. — 13. In fin. pr. supr. h. c. — 14. d. N. 137, c. 3. — 15. N. petund. — 16. d. c. 1, § 5, § 9, c. 16, infr. hic. — 17. L. ult. in fin., C. ad leg. Jul. repetund. — 18. Authent. Quod pro, C. de episcopis.

rerum factus est : datas res in duplum cum exigi jubemus, ecclesiæ vindicandas. Non solum autem quæ secundum hunc modum dantur, vindicari præcipimus : sed etiam omnem cautionem pro hoc quolibet modo expositam, et pignorum vel fidejussorum dationem, vel oblationem, et omnem quamlibet aliam cautionem vacare sancimus. Et qui super hoc promissionem accepit, non solum professionem reddat : sed etiam aliud tantum quantum professio continet, exigatur, quod debet ecclesiæ dari.

CAP. III. *Si quis episcopus ante ordinationem vel postea ecclesiæ res suas obtulerit : et quid pro cathedratico dari conveniat.*

Si quis autem episcoporum sive ante suam ordinationem, sive post ordinationem voluerit proprias res, aut partem earum ecclesiæ offerre[19] cujus sacerdotium accepit, non prohibemus, et omni condemnatione et pœna præsentis legis liberum esse sancimus : sed etiam omni laude dignum judicamus : quoniam hoc non est emptio, sed oblatio. Pro consuetudinibus autem illa sola permittimus præberi ab ordinatis episcopis, quæ subsequenter præsenti legi inserta sunt. Jubemus igitur beatissimos archiepiscopos et patriarchas, hoc est seniores Romæ, et Constantinopoleos, et Alexandriæ, et Theopoleos, et Hierosolymorum, siquidem consuetudo habet episcopis et clericis in eorum ordinatione, non minus quam viginti auri libras dari, ipsa solummodo præberi, quæ consuetudo recognoscit : plus autem ab hac quantitate nihil supra viginti auri libras præberi, metropolitas autem a propria synodo, aut a beatissimis patriarchis ordinatos, et alios omnes episcopos, qui aut a patriarchis aut a metropolitis ordinantur dare pro inthronisticis quidem solidos centum : notarius autem ordinantis, et aliis ministrantibus ei, et solenniter accipientibus solidos trecentos. Si vero ecclesiæ reditus minus quidem quam triginta auri libras per annum reddant, non minus autem quam decem : dari pro inthronisticis solidos centum : aliis autem omnibus, qui ex more capiunt, solidos cc. Si vero minus quidem quam decem, non minus autem quinque auri libras ecclesiæ reditus esse contigerit : pro inthronisticis quidem dari solidos quinquaginta : omnibus autem aliis ex consuetudine percipientibus, solidos ducentos. Si autem minus quam quinque, non minus autem duas auri libras ecclesiæ reditus habeat, pro inthronisticis solidos decem et octo : omnibus autem aliis ex consuetudine percipientibus solidos XXIV. Si autem minus tres, non autem quam duas auri libras quantitas redituum ecclesiæ comperiatur, dare pro inthronisticis quidem solidos duodecim, pro omni vero alia consuetudine solidos sex. Episcopum enim ecclesiæ minus duas, auri libras reditus habentem, neque pro inthronisticis, neque pro alia qualibet consuetudine dare aliquid permittimus. Hæc autem quæ præberi disposuimus[20], primus presbyter ordinantis episcopi et archidiaconus suscipientes, ex consuetudine percipientibus dividant hæc. Igitur jubemus hæc omnibus modis observari : ut non ex talibus occasionibus ecclesiæ debitis prægraventur, et sacerdotia venalia[21] fiant. Si quis autem ultra quantitatem a nobis definitam pro inthronisticis aut consuetudinibus quolibet modo præsumat accipere : jubemus quicquid plus acceperit, triplum ex rebus ejus vindicari ecclesiæ dantis. Sed hæc quidem pro episcoporum ordinatione dicta sint.

CAP. IV. *Ut episcopatus a servili, et adscriptitia fortuna hominem liberet.*

Post[22] ordinationem vero servili et adscriptitia fortuna episcopos liberos esse præcipimus, nisi curiales aut officiales citra prædictam observationem ordinentur : tales enim episcopatu remotos, curiæ aut officio restitui jubemus : ut non ex tali fortuna sacerdotio fiat injuria. Ilios autem qui ante hanc nostram legem ex curiali fortuna inveniuntur episcopi ordinati, hujusmodi quidem fortuna liberos esse sancimus : legitimam vero partem ex propriis rebus curiæ, et fisco dare : sic tamen, ut nullam imminutionem ecclesiastica jura sustineant in rebus, quas in episcopatu acquisitas, ecclesiæ eorum competere disposuimus. Si vero contigerit ordinatum episcopum sub proprii parentis potestate esse : ex ipsa ordinatione suæ[23] potestatis sit.

CAP. V. *De presbyteris, et diaconis, et subdiaconis cognationis jure ad tutelam vel curam vocatis.*

Deo[24] autem amabiles episcopos et monachos, ex nulla lege tutores, aut curatores cujuscunque personæ fieri permittimus : presbyteros autem, et diaconos, et subdiaconos jure et lege cognationis tutelam aut curam suscipere hereditatis permittimus, proprio et solo gradu cognationis ad tutelam et curam vocatis, hujusmodi suscipere administrationem permittimus : si tamen intra quatuor menses ex quo vocati sunt, apud competentem judicem scripto declarent talem administrationem propria[25] voluntate suscepisse ; et si quis eorum forsan hoc fecerit, nullum ex hoc in alia tutela aut cura præjudicium patiatur.

CAP. VI. *Ut clerici a muneribus personalibus et negotiis secularibus*[26] *abstineant.*

Sed neque fieri susceptorem aut exactorem fiscalium functionum, aut conductorem publicarum aut alienarum possessionum, aut curatorem domus, aut procuratorem litis, aut fidejussorem[27] pro talibus causis episcopum, aut œconomum, aut alium clericum cujuslibet gradus, aut monachum proprio nomine, aut ecclesiæ, aut monasterii sinimus : ut non per hanc occasionem et sanctis domibus dammum fiat, et sacra ministeria impediantur[28]. Si autem ecclesiis aut monasteriis possessiones quædam adjacentes inveniantur, et voluerint dispensatores ipsarum venerabilium domorum in conductionem aut emphyteusim has accipere : tunc omnibus clericis et monachis pro his causis in ipso instrumento sub gestis monumentorum consentientibus et manifestantibus pro utilitate venerabilium domorum hoc fieri ; talem conductionem et emphyteusim procedere sinimus. Sed etiam ipsis sanctissimis ecclesiis et aliis venerabilibus domibus damus licentiam conductiones et emphyteuses facere ad invicem : et clericis similiter propriarum ecclesiarum possessiones conducere et gubernare, cum voluntate tamen episcopi et œconomi permittimus : exceptis personis quas per aliam legem hoc facere prohibuimus. Si quis autem contra ea quæ dicta sunt, aliquid fecerit si quidem episcopus fuerit, omnes ejus res ex qualibet causa vel persona sive ante episcopatum, sive post hoc fuerint ad eum venientes, ejus ecclesiæ vindicari sancimus. Si autem œconomi, aut alii clerici fuerint hoc delinquentes : pecuniariam eos pœnam, qualem episcopus eorum probaverit, exigi ecclesiæ vindicandam : cum etiam conductionem teloniorum, aut cujuslibet possessionis, aut publicarum collationum perceptionem, aut exactionem, aut solicitudinem domus eis credentes, aut fidejussores eos pro memoratis causis suscipientes : nullam contra ecclesiam, aut monasterium, aut res ejus, aut gubernantium, aut contra illas personas quibus crediderint, aut contra facultates aut fidejussores eorum habeant actionem. Illi vero qui publicarum collationum aut tributorum susceptionem, aut conductionem, aut exactionem memoratis personis crediderint, aut fidejussores eos acceperint : si quod publico damnum contingat, hoc ex propria facultate restituere compelluntur.

CAP. VII. *Ne episcopus dicendi testimonii causa evocetur.*

Nulli vero judicum[29] licebit, Deo amabiles episcopos cogere ad judicium venire pro exhibendo testimonio[30] : sed judex mittat[31] ad eos quosdam ex personis ministrantium sibi : ut propositis sanctis Evangeliis secundum quod decet sacerdotes, dicant quæ noverint.

CAP. VIII. *Ne propter quamlibet causam episcopus ad secularem judicem trahatur.*

Sed[32] neque pro qualibet pecuniaria causa vel criminali episcopum ad judicem civilem aut militarem, invitum producere aut exhibere citra imperialem jussionem permittimus : sed judicem qui tale aliquid sive ex scripto sive ex non scripto præsumpserit imperare, post cinguli privationem, viginti librarum auri pœnam exsolvere jubemus ecclesiæ, cujus episcopus produci aut exhiberi jussus est : executorem similiter post cinguli privationem, et verberibus subdendum, et in exilium deportandum.

CAP. IX. *Ne episcopi proprias ecclesias relinquant*[33].

Interdicimus autem Deo amabilibus episcopis proprias relinquere ecclesias, et ad alias regiones venire. Si vero necessitas faciendi hoc contigerit ; non aliter, nisi cum literis beatissimorum patriarchæ aut metropolitæ, aut per imperialem videlicet jussionem hoc faciant : ita tamen ut nec illis episcopis qui sub beatissimo archiepiscopo Constantinopoleos et patriarcha fuerint, liceat citra permissionem ejus, aut nostræ jussionis, ad regiam civitatem venire. Si vero etiam secundum hunc modum episcopus cujuscunque loci profectus fuerit, non amplius uno[34] anno suam relinquat ecclesiam. Episcopos autem in regiam civitatem, sicut dictum est, venientes, cujuslibet fuerint diœcesis, præ omnibus ire ad beatissimum archiepiscopum Constantinopoleos, et ad patriarcham, et ita per[35] eum ad nostram introire tranquillitatem. Citra autem hanc nostram dispositionem aut proficiscentibus, aut ultra definitum unius anni tempus extra suam ecclesiam facientibus moram, primum quidem non ministrari ab œconomis propriæ ecclesiæ expensas : deinde admonere eos per literas sacerdotum sub quibus agunt, ut revertantur ad suas ecclesias : differentes autem revertí secundum sanctas revocari regulas : et nisi intra defi-

19. c. 16, in fin. infr. hic. — 20. *Adde* N. 56. — 21. § 8, Instit. de rer. divis. ; § 2, Inst. de inutil. stipul. ; L. 6, in pr. D. de contrah. empt. ; L. 83, § 5, D. de verb. oblig. ; L. 1, § 1, D. de lege Jul. ambitus. — 22. Authent. Episcopalis, C. de episcopis. — 23. N. 81, c. 3. — 24. Authent. Presbyteros, post leg. 52, C. de episcopis. — 25. L. 52, pr. C. d. t. — 26. L. 17, in pr. C. d. t. ; *adde* N. Leon. 68 — 27 N. Leon. 86, Canon. Apost. 19. — 28. Fac. L. 3 2, § 4, D. de recepis ; L. 82, § 1, in fin. C. de episcopis — 29. Authent. Sed judex, C. d. t. — 30. *Adde* L. 7, L. 8, C. d. t. — 31. L. 2 § 1, C. de jurejur. propter calumn. — 32. Authent. Nullus episcopus, C. de episcopis. — 33. *adde* N. 6, c. 13. — 34. d. N. 6, c. 2 ; *adde* N. 67, c. 3. — 35. d. N. 6, c. 3.

nitum a sacris canonibus tempus revertantur ad suas ecclesias, ipsos quidem ab episcopatu expelli, alios autem pro eis meliores ordinari secundum præsentis legis virtutem : hoc ipso et super clericis valituro cujuscunque ordinis fuerint aut ministerii.

Cap. X. *Ut archiepiscopi et patriarchæ sæpius in annis singulis concilia et synodos celebrent.*

Ut autem omnis ecclesiasticus status, et sacræ regulæ diligenter custodiantur : jubemus unumquemque beatum archiepiscopum, et patriarcham et metropolitam sanctissimos episcopos sub se constitutos in eadem provincia semel[56] aut secundo per singulos annos ad se convocare, et omnes causas subtiliter examinare, quas episcopi aut clerici aut monachi adinvicem habeant, easque disponere : et super hoc quidquid extra regulas a quacunque persona delinquitur, emendare. Interdicimus[57] autem sanctissimis episcopis, presbyteris, et diaconis, et subdiaconis, lectoribus, et omnibus aliis cujuslibet venerandi collegii aut schematis constitutis, ad tabulas[58] ludere, aut aliis ludentibus participes ac inspectatores fieri, aut ad quodlibet spectaculorum spectandi gratia venire. Si quis autem ex his hoc deliquerit, jubemus hunc in tribus annis a venerabili ministerio prohiberi, et in monasterium redigi. Si autem in medio tempore ostenderit dignam sui vitii pœnitentiam, liceat et sacerdoti sub quo constitutus est minuere tempus et hunc rursus proprio reddere ministerio : scientibus quoque sanctissimis episcopis debentibus hoc vindicare, quia si tale aliquid agnoscentes non vindicaverint, ipsi rationem Deo pro tali causa persolvent. Nullum autem episcopum in vitum cogi quemlibet clericum sub se constitutum de proprio clero dimittere.

Cap. XI. *Ne quis ante causæ exitum excommunicetur.*

Omnibus autem episcopis et presbyteris interdicimus[59] segregare aliquem a sacra communione, antequam causa monstretur propter quam sanctæ regulæ hoc fieri jubent. Si quis autem præter hoc a sancta communione quemquam segregaverit : ille quidem qui injuste a communione segregatus est, solutus excommunicatione a majore sacerdote, sanctam mereatur communionem. Qui vero aliquem a sancta communione segregare præsumpserit : modis omnibus a sacerdote, sub quo constitutus est separabitur a communione quanto tempore ille perspexerit : ut quod injuste fecit, juste sustineat. Sed neque propriis manibus liceat episcopum aliquem percutere, hoc enim extraneum sacerdoti est. Si[40] quis autem episcopus secundum ecclesiasticas regulas sacerdotio pulsus, præsumpserit ingredi civitatem, ex qua pulsus est, relinquens locum in quo jussus est degere : jubemus hunc in monasterio in alia regione constituto trali : ut quod in sacerdotio deliquit, degens in monasterio corrigat.

Cap. XII. *Quales esse debent qui in clericos ordinantur.*

Clericos autem non aliter ordinari permittimus, nisi literas[41] sciant, et rectam fidem, vitamque habeant honestam : et neque concubinam aut naturales habuerint aut habeant filios, sed caste viventes, aut uxorem legitimam, et ipsam unam et primam habentes, neque viduam, neque separatam a viro, neque aliter legibus aut sacris canonibus interdictam.

Cap. XIII. *De ætate presbyterorum et cæterorum clericorum.*

Presbyterum autem minorem[42] trigintaquinque annorum fieri non permittimus. Sed neque diaconum aut subdiaconum minorem[43] viginti-quinque, aut neque minorem lectorem decem et octo annorum Diaconissam[44] vero non ordinari in sancta ecclesia, quæ minor[45] est annorum quadraginta, aut ad secundas venerit nuptias.

Cap. XIV. *De uxoribus clericorum.*

Si autem tempore ordinationis clerici cujuscunque collegii aut ordinis, accusator aliquis apparuerit, dicens *eum indignum ordinatione esse* : differatur ordinatio, et universa procedant tam pro examinatione, quam pro multis causis, quas in episcoporum ordinationibus sancivimus. Si vero futurus ordinari diaconus non habuerit uxorem (sicut prius dictum est) conjunctam sibi : non aliter ordinetur, nisi prius ab ordinante eum interrogatus promiserit *posse post ordinationem et sine legitima uxore honeste vivere* : non valente eo qui ordinat, in tempore ordinationis permittere diaconum aut subdiaconum post ordinationem uxorem accipere. Is autem qui permittit[46] episcopus, expellatur ab episcopatu. Si vero post ordinationem presbyter aut diaconus aut subdiaconus uxorem duxerit : expellatur[47] a clero, et curiæ civitatis illius in qua clericus erat, cum propriis rebus tradatur. Si vero lector secundam[48] ducat uxorem, aut primam quidem viduam, aut separatam a viro, aut legibus vel sacris canonibus interdictam, nequaquam ad alium ecclesiasticum ordinem provehatur : sed et si quolibet modo ad majorem ordinem perducatur, expellatur eo, et priori restituatur.

Cap. XV. *Quibus casibus curiales clerici ordinari possunt.*

Sed[49] neque curialem[50] aut officialem clericum fieri permittimus : ut non ex hoc venerabili clero injuria fiat. Si vero tales personæ in clero constituantur, tanquam nec ad ordinem perducti, propriæ fortunæ restituantur, nisi forsan monasticam vitam aliquis eorum non minus quindecim[51] annis implevit ; tales enim ordinari præcipimus, legitima videlicet parte curiæ et fisco danda, si in clero constituti, monacho condecentem vitam impleverint. Si vero post clericatus honorem aliquis eorum uxorem duxerit, aut concubinam habuerit, curiæ et officio, cujus fortunæ subjacebat, reddatur : etiam si maxime tali ecclesiastico gradu tenebatur, in quo quis constitutus non prohibetur sacris canonibus et legibus uxorem accipere. Hoc autem et super aliis omnibus monachis tenere sancimus, qui de monasteriis ad quemlibet ecclesiasticum transferuntur gradum, etiam si nulli fortunæ subjecti fuerint. Et generaliter sancimus, nulli[52] licere in quolibet ecclesiastico gradu constituto, discedere ab eo, et secularem fieri, scientibus tale aliquid facientibus, quia et quasi apposito sibi cingulo aut dignitate aut militia nudabuntur, et curiali fortunæ propriæ civitatis tradentur. Qui autem ante nostram legem clerici ordinati sunt ex[53] curiali fortuna : per substitutas personas pecuniaria munera complere, a corporalibus autem liberos servari.

Cap. XVI. *Ut ordinationes gratis*[54] *fiant.*

Sed neque clericum cujuscunque gradus dare aliquid ei a quo ordinatur, aut alii cuilibet personæ permittimus : solas autem præbere eum consuetudines[55] iis, qui ordinantium ministrantes sunt, ex consuetudine accipientibus, unius anni emolumenta non transcendentem. In sancta vero ecclesia in qua constituitur, sacrum complere ministerium, et nulla penitus propriis clericis dare pro sua insinuatione : nec ob hanc causam propriis emolumentis aut aliis portionibus hunc privari. Sed neque xenodochum, aut nosocomum, aut ptochotrophum, aut alium quemlibet venerabilis domus gubernatorem, aut quamcunque ecclesiasticam solicitudinem agentem, dare aliquid illi a quo constituitur, aut alii cuicunque personæ pro commissa sibi gubernatione. Qui vero præter hæc quæ disposuimus, aut dat, aut accipit, aut mediator[56] fit, sacerdotio aut clero hujusmodi commissæ sibi cujuscunque gubernationis nudabitur, iis quæ accipiuntur vindicandis venerabili loco, cujus talis persona ordinationem aut solicitudinem aut gubernationem accipit. Si autem secularis sit qui accipit, aut mediator factus est : quod datum est, duplum repetitur, et venerabili loco in quo talis persona ordinationem aut gubernationem aut solicitudinem susceperit, præbeatur. Si quis autem clericus cujuslibet gradus, sive gubernator cujuslibet venerabilis domus, aut ante ordinationem commissam sibi cujuscunque gubernationis aut solicitudinis, aut postea aliquid voluerit suarum rerum offerre[57] ecclesiæ in qua ordinatur, aut loco cujus gubernationem aut solicitudinem suscepit, non solum non prohibemus hoc fieri, sed etiam magis invitamus eos talia pro salute animæ suæ facere. Nos enim illa solum dari prohibemus, quæ propriis personis quibusdam præbentur, non quæ sanctis ecclesiis, aut aliis venerabilibus locis offeruntur.

Cap. XVII. *Quomodo servus ordinari possit, aut adscriptitius.*

Si servus[58] sciente[59] et non contradicente domino in clero ordinatus fuerit : ex hoc ipso quod constitutus est, liber et ingenuus erit. Si vero ignorante[60] domino ordinatio fiat : licet domino intra spatium unius anni et servilem fortunam probare, et suum servum recipere. Si vero servus sciente domino sive insciente (sicut diximus) eo quod in clero constitutus est, liber factus ecclesiasticum ministerium reliquerit, et ad secularem transierit vitam : suo domino ad servitium tradatur. Adscriptitios[61] autem in ipsis possessionibus, quarum sunt adscriptitii, clericos etiam præter voluntatem dominorum fieri permittimus : ita tamen, ut clerici facti impositam sibi agriculturam adimpleant.

Cap. XVIII. *De ædificatoribus ecclesiarum.*

Si quis oratorii domum fabricaverit[62], et voluerit in ea clericos ordinare aut ipse, aut ejus heredes : si expensas ipsis clericis ministrant, et dignos denominant, denominatos ordinari. Si vero qui ab eis eliguntur, tanquam indignos prohibent sacræ regulæ ordinari : tunc sanctissimus episcopus quoscunque putaverit meliores, ordinari procuret. Sancimus

56. N. 137, c. 4. — 57. Authent. Interdicimus, C. de episcopis. — 58. L. 34, § 1, § 3, C. de episc. aud. ; N. Leon. 87. — 59. L. 6 a, C. de episcopis. — 40. Authent. Si quis episcopum, C. d. t. — 41. N. 6, c. 4 ; N. 137, c. 1. — 42. Authent. Presbyterum, C. de episcopis. — 43. Mutat. N. Leon. 16, 75. — 44. Authent. Diaconissam, C. de episcopis. — 45. L. 9, C. d. t. ; N. 5, c. 6. — 46. N. Leon. 3. — 47. N. 22, c. 42. — 48. d. c. 42. — 49. Authent. Sed neque, C. de episcopis. — 50. N. 6, c. 4 ; L. 55, pr. C. de episcopis. — 51. c. 2, in pr. supr. hic. — 52 N. 6, c. 7. — 53. L. 21, C. de episcopis. — 54. c. 2, § 1, supr. hic ; N. 86, c. 1 ; N. 137, c. 2 ; L. 1, D. ad leg. Jul. ambitus, Canon. Apost. 28. — 55. c. 3, supr. hic. — 56. d. c. 2, § 1, supr hic. — 57. d. c. 3, in pr. — 58. Authent. Si servus, C. de episcopis. — 59. *Adde* L. 4, C. de præpos. sacri cubic. ; L. 6, L. 7, C. qui militare. — 60. N. Leon. 9, 10, 21. — 61 Authent. Adscriptitios, C. de episcopis ; *adde* L. 16, C. eod. — 62. N. 87, c. 2.

autem reverendissimos clericos suis ecclesiis obsecundare, et omne eis competens ecclesiasticum ministerium adimplere : hoc requirente uniuscujusque civitatis sanctissimo episcopo, et cujuscunque ordinis ecclesiastici primatibus, eos qui hoc non custodiunt regulari mulctæ subdentibus.

Cap. XIX. *Ut omnes clerici res suas in sua potestate habeant.*

Presbyteros[63] autem et diaconos et subdiaconos, cantores et lectores, quos omnes *clericos* appellamus, res quolibet modo ad eorum dominium venientes habere sub sua potestate præcipimus, ad similitudinem castrensium peculiorum[64], et donare secundum leges, et in his testari, licet sub parentum sint potestate : sic tamen, ut horum filii, aut his non existentibus, parentes eorum legitimam partem ferant.

Cap. XX. *Quibus pœnis subjiciantur clerici, qui falsum tulerint testimonium.*

Reverendissimis[65] autem presbyteris aut diaconis etiam si inventi fuerint pro[66] pecuniaria causa falsum perhibuisse testimonium : sufficiat pro verberibus, tribus annis separari a sacro ministerio, et monasteriis tradi. Pro criminalibus autem causis si falsum testimonium dixerint : clero nudatos, legitimis subdi pœnis præcipimus : reliquos autem omnes in aliis etiam ecclesiasticis ordinibus constitutos, si falsum testimonium cujuslibet causæ, sive pecuniariæ, sive criminalis dixisse convincantur, non solum ecclesiastico officio repelli, sed etiam verberibus subdi.

Cap. XXI. *Ut clerici apud proprium conveniantur episcopum.*

Si quis contra aliquem clericum aut monachum, aut diaconissam, aut monastriam, aut ascetriam habeat aliquam actionem, adeat prius sanctissimum episcopum, cui horum unusquisque subjaceat : ille vero causam inter eos judicet : et si quidem utraque pars iis quæ judicata sunt, acquieverit : jubemus per loci judicem hoc executioni perfectæ contradi. Si[67] quis autem litigantium intra decem dies contradicat iis quæ judicata sunt, tunc locorum judex causam examinet : et si invenerit judicium recte factum, etiam per sententiam propriam hoc confirmet, et executioni propriæ tradat, quæ judicata sunt : et non liceat secundo in tali causa vicio appellare. Si vero judicis sententia contraria fuerit iis, quæ a Deo amabili episcopo judicata sunt : tunc locum habere appellationem contra sententiam judicis, et hanc secundum legum ordinem referri et exerceri. Si tamen ex imperiali jussione, aut judiciali præcepto episcopus judicat inter quascunque personas : appellatio ad imperium, aut ad eum qui transmisit negotium, referatur. — § 1. Si vero crimen fuerit quod adversus quamlibet memoratarum reverendissimarum personarum inferatur, si quidem apud episcopum aliquis accusatur, et ipse veritatem invenire potuerit : ab honore aut gradu hunc secundum ecclesiasticas regulas dejiciat, et tunc competens judex hunc comprehendat, et secundum leges litem examinans causæ finem imponat. Si vero prius civilem judicem adeat accusator, et crimen per legitimam examinationem potuerit approbare, tunc episcopo locorum gesta monumentorum palam faciat : et si ex his agnoscatur proposita crimina commisisse eum, tunc ipse episcopus hunc secundum regulas ab honore sive gradu quem habet separet : judex autem ultionem ei inferat legibus congruentem. Si vero episcopus putaverit gesta non juste confecta : tunc liceat ei deferre, et nudare honore seu gradu accusatam personam : ita tamen, ut hujusmodi persona sub legitima cautela fiat, et ita ad nos negotium tam ab episcopo quam a judice, referatur, ut nos hoc cognoscentes, quæ nobis videntur, jubeamus. — § 2. Si quis autem pro pecuniaria causa contra aliquem omnium memoratarum personarum habuerit actionem aliquam, et episcopus distulerit inter eos judicare : licentiam habeat actor civilem judicem adire : ita tamen ut accusata persona nullo modo cogatur fidejussorem dare, sed solam[68] cautionem sine jurejurando cum hypotheca suarum rerum exponere. Si vero pro criminali causa accusatio contra aliquam memoratarum personarum proponatur, sub legitima cautela accusata fiat persona. Si autem ecclesiastica causa est, nullam communionem habeant judices civiles circa talem examinationem, sed sanctissimus episcopus secundum sacras regulas causæ finem imponat.

Cap. XXII. *Ut episcopi apud proprium conveniantur metropolitanum : et ut cavere pro lite non teneantur.*

Si quis vero sanctissimorum episcoporum ejusdem synodi dubitationem aliquam adinvicem habeat, sive pro ecclesiastico jure, sive pro aliis quibusdam rebus : prius metropolita eorum cum aliis de sua synodo episcopis causam examinet et judicet : et si non rata habuerit utraque pars quæ judicata sunt, tunc beatissimus patriarcha diœceseos illius inter eos audiat, et illa determinet quæ ecclesiasticis canonibus et legibus consonant : nulla parte ejus sententiæ contradicere valente. Si autem et a clero, aut alio quocunque aditio contra episcopum fiat propter quamlibet causam : apud sanctissimum ejus metropolitam secundum sacras regulas et nostras leges causa judicetur : et si quis judicatis contradixerit, ad beatissimum archiepiscopum et patriarcham diœceseos illius referatur causa, et ille secundum canones et leges huic præbeat finem. Si vero contra metropolitam talis aditio fiat ab episcopo, aut clero, aut alia quacunque persona : diœceseos illius beatissimus patriarcha simili modo causam judicet. Pro omnibus autem causis, pro quibus apud proprium metropolitam, aut patriarcham, sive apud alios quoscunque judices episcopi conveniantur, nullam fidejussionem aut cautionem pro lite exigantur : sic tamen, ut isti studeant illatis sibi causis semetipsos absolvere.

Cap. XXIII. *Ut œconomi et similes apud proprium episcopum conveniantur.*

Œconomos autem, et xenodochos, nosocomos, ptochotrophos, et aliorum venerabilium locorum gubernatores, et alios omnes clericos, jubemus pro creditis sibi gubernationibus apud proprium episcopum cui subjacent, conveniri, et rationem suæ gubernationis facere, et exigi quod ex ipsis debentes ostendunt : illi venerabili reddendum domui, ex cujus ordinatione debitum apparuerit. Si vero putaverint se gravari : post repetitionem metropolita causam examinet. Si vero metropolita fuerit contra quampiam prædictarum personarum hujusmodi causas examinans, et debitum exegerit, et exactus putaverit se gravatum : diœceseos illius beatissimus patriarcha causam determinet : non enim concedimus prædictis personis pro memoratis causis ante examinationem et exactionem debiti proprios episcopos declinare, et ad alia venire judicia. Si quis autem ex ecclesiasticis cui aliqua talis dispensatio credita est, ante rationum expositionem, et debitorum solutionem moriatur, jubemus ejus heredes simili modo et rationibus et exactionibus subjacere.

Cap. XXIV. *Ut episcopi illic ubi deliquerint, conveniantur.*

Si quis episcopus aut clericus ex quacunque provincia in Constantinopoli reperiatur, et voluerit aliquis adversus eum actionem proponere : si quidem litis contestatio in provincia pro ipso negotio facta est, ibi litem compleri. Si vero nondum inchoata est : apud gloriosissimum præfectum Orientis prætoriorum, aut apud eos qui a nobis fuerint deputati judices, convenientibus eum respondere.

Cap. XXV. *De apocrisariis*[69].

Reverendissimi vero apocrisarii cujuscunque sanctissimæ ecclesiæ, qui in regia civitate degunt, aut ad beatissimos patriarchas, aut ad metropolitas a suis episcopis ordinati et destinati, neque pro suis episcopis, neque pro causa ecclesiæ, aut pro debito publico aut privato aliquam conventionem sustineant, nisi mandatum habuerint a suis episcopis, aut œconomis, ut aliquos conveniant. Tunc enim solis illis, qui ab eis conveniuntur, damus licentiam si quam obligationem habent contra ecclesiam aut contra episcopos eorum, proponere. Si vero et in quibusdam causis vel actionibus semetipsos obligatos fecerint, in tempore in quo responsa faciunt, pro his conventiones[70] suscipiant.

Cap. XXVI. *Ne episcopi legationis tempore conveniantur.*

Si vero episcopi vel clerici pro civitate aut pro suis ecclesiis propter suam legationem[71], aut ordinationem episcopi, ad regiam civitatem, vel ad alium quemlibet locum proficiscantur, jubemus eos nullam molestiam aut importunitatem a qualibet persona sustinere : licentia existente iis, qui obligatos eos putant se habere, postquam ad provinciam revertuntur, convenire eos, nullo in iis quæ se putant habere, eis faciendo præjudicio de temporalibus præscriptionibus, propter tempus quod in tali causa protraxerint.

Cap. XXVII. *Ut monachi per procuratorem se defendant : et de quantitate sportularum.*

Si quando autem causa emerserit, ut admonitio aut executio inferatur pro qualibet pecuniaria causa sive publica, sive privata : clerico aut monacho, aut monastriæ, aut cuicunque monasterio, et maxime fœminarum : jubemus sine injuria, et cum competenti honore admonitionem fieri, non tamen monastriam aut ascetriam monasterio[72] abstrahi : sed procuratorem ab eis ordinari, qui pro causa respondeat. Monachis autem liceat sive per se, sive per procuratorem monasterii causas agere : sciente qui hoc prævaricatur judice, vel executore, quia et cingulo spoliabitur, et pœnam quinque librarum auri exigetur per magnificentissimum comitem privatarum rerum : executore videlicet super hoc verberando, et in

63. Authent. Presbyteros, post leg. 54, C. de episcopis. — 64. L. 50, C. d. t. — 65. Authent. Presbyteri, C. d. t. — 66. N. Leon. 76 — 67. Authent. Si quis litigantium, C. de episc. aud. — 68. L. 28, § 1 ; L. 35, § 3, C. de episcopis. — 69. *Fac.* c. 36, c. 42, infr. hic ; N. 6, c. 2 ; N. 24, c. 4 ; N. 25. c. 1. in fin. ; N. 123, c. 4, c. 5 ; L. 29, C. de episcopis. — 70. N. 96, c. 1, § 1. — 71. L. 2, § 5, D. de judic. — 72. N. 134. c. 9, in fin.